

ex genere armorum constituitur. Nam si baculo quis percusserit, & secuta mors est, percutiens non præsumitur animum occidendi habuisse, *Vigel. c. 7. reg. 1. excep. 2. repl. & dupl.* Sic percutiens aliquem parvo gladiolo præsumitur id animo non occidendi fecisse, *Menoch. 5. præf. 2. n. 26.* Lapidem in aliquem conjiciens, & ipsum interficiens animum occidendi in dubio habuisse non præsumitur. Ideoq; nõ ordinariâ pœnâ puniendus, *Dav. Moll. 1. sem. 33. n. 1. loh. Harpp. in tract. crim. ad §. item lex Cornelia de sicariis, Instit. de publ. judic. n. 43. & seqq.* ubi argumenta contraria solvit, quem videas, ut & *Lud. Gilhaus. in arb. jud. crim. c. 2. tit. 12. num. 46.* Percussio in capite, an semper puniri cum istâ qualitate animo occidendi debeat? Vide *Zilett. tom. 2. conf. crim. 99. 100.*

ARTICULUS CXLVII.

Dubitatio de morte vulnerati.

Hunc articulum notis illustrarunt doctissimis *Gobler. Zieritz. & Steph. hic,* qui, si cum Judicio legantur, nihil ego desidero, nisi nimis delicatus videri velim. Sed cum ævum hoc nostrum sanè doctum, delicatum, subactique Judicii est, ut *Paulus Merula,* cujus laudes expressit *lohan. Kirchn. in Orat. de obitu ejusdem,* ait, *in præfat. Cosmograph. præfix.* & in quo pueri nasum Rhinocerotis habent, vulnerum materiam tractant *Sebast. Medic. de fort. casib. part. 2. q. 2. Hier. Treutl. volum. 2. consil. 103. per tot. & Bartolus de percussionibus* scripsit tractatum, quos Dd. tibi, Lector, licet adire. Vulnus mortale quale dicatur, & quando mors ex vulnere, vel aliunde probetur subsæcuta, & quæ sint partes in corpore hominis, in quibus vulnera illata sunt lethalia, vel non; & an in hoc Judicio medicorum standum? Confule *Nicol. Boër. dec. 323. per tot. Pross. Farin. de homicid. q. 127. tit. 14. p. 385.* Vide *artic. 59. concl. 1. & Speckh. cent. 3. class. 2. q. 13. Lud. Gilh. in arb. jud. c. 2. tit. 12. num. 56.* Libero homine vulnerato, vel membro aliquo debilitato peti actione L. Aquiliæ potest, quod minus ille ex operis suis propter damnum illatum habiturus est, tum etiam impendia pro curatione facta, proindeq; etiam merces medico data, vel adhuc danda; ut latè trado *disc. Acad. 7. concl. 11. secundæ editionis.* Digito debilitato, utrum membrum dicatur debilitatum? Vide *tom. 2. conf. crim. à lohan. Bapt. Zilett. collect. conf. 10. num. 1. cum seqq.* Alapa gladio repelli potest, & si eo ictu vulneratus occiderit, de occiso non tenetur, *Bald. Ang. Mar. Solom. in repet. legis ut vim, 3 ff. de iust. & iur. num. 8. vers. hinc omnium.* Dans alapam officiali, qui est in officio, vel in Syndicatu, quâ pœnâ puniatur? Vide obiter *Martin. Dobberg. in repet. jur. vo. e. alapa. Von Wunden die nicht Weinschrötkg oder Töd tlich seyn / an admixtum pertineant imperium? Consulendus Iust. Mejer. Coll. Argent. lib. 48. tit. 2. concl. 17.* Si quis aliquem absque sanguinis effusione fustibus percusserit, vel crines ejus, vel barbam expilaverit, decem libras ei, cui injuria illata est, per compositionem impendat; Judici verò viginti libras persolvat, *de pace tenendâ, & ejus violatoribus, tit. 27. vers. si quis aliquem, lib. 2. F. Lud. Gilhaus. in arbor. jud. crim. de injur. c. 2. tit. 34. §. 8. num. 16.*